

LECTORI BENEVOLO
FACULTATIS MEDICÆ
LIPSIENSIS

P. T.

PROCANCELLARIUS
D. JOHANNES GUILIELMUS
PAULI,
FACULTATIS LAUDATÆ SENIOR
ET P. P.

S. P. D.

Anat.

B.

4,20

1/2 anat., 166 e)



7. 7.
Aud omnia experimenta, quæ in corpore nostro animali demortuo feliciter instituantur, ad idem pariter vivum commode posse applicari, levius paulo examen vel eorum, quibus Experientissimus *Vieussens*, in novo vasorum corporis humani systemate, nunc transcolationem in ventriculo, tam extrorsum ad venas ipsius, quam introrsum per arteriolarum extremitates, nunc vero continuum sanguinis variorumque succorum ex arterioso sanguine secretionem in ipso canali arterioso ad diversos ductus secretorios, stabilire allaboravit, luculentissimum videtur subministrare testimonium. Anatomicus namque laudatus, colam primum in ventriculo æque, ac secundum in intestinis tenuibus, confirmaturus breviorumque acidularum assumptarum ex primis istis viis ad venam portæ transitum, quam ad receptaculum lumbare, demonstraturus, stomachum e cadavere puellæ annum octavum agente una cum majori omenti parte exemit, & crassioribus utriusq; partis ramis sanguiferis strictè ligatis, totam ventriculi cavitatem frigida prius deterfam ante omnia spiritu vini croceo colore tincto replevit, postea vero superius ejus orificium filo itidem constrinxit. Quibus peractis intra duas circiter horas non modo stomachi parietes eundem assumfisse colorem, sed & uno eodemque tempore tum sanguifera illius visceris, tum sanguifera quoque & adiposa omenti vasa flavedinem contraxisse. Quem successum non minus in tenuibus patuisse intestinis, dum spiritus vini croci particulis imprægnatus ac in cavitatem illorum injectus ad sanguiferos & adiposos omnes omenti ductus transferit illosque saturato colore croceo infecerit. Fermentum vice versa, alimentis coquen-

coquendis dicatum, e confluxu trium corporis succo-
rum perfectissime subactorum proficisci, liquoris nempe
adiposi spiritum quendam acidum maxime volatilem
continentis atque ab adiposis omenti ductibus cum lym-
phaticis stomachi tubulis coalescentibus continuo effusi,
spiritus animalis nitrosus aeris particulis turgidi, ac laticis
demum lymphatici ex ipsismet stomachi arteriis proma-
nantis, quo Idem tanto certius comprobaret, ventricu-
lum itidem, e cadavere viri trigessimum circiter annum
agentis extractum, semoto omento invertit ligatoque
pyloro totam ejus cavitatem spiritu vini coloris admo-
dum crocei replevit. In cujus in aere, post arctam orifi-
cii superioris constrictionem suspensi, vasorum intersti-
tia mox minimas spiritus vini partes ea sese ratione insi-
nuasse, ut e lateribus hujusce visceris sudoris instar sensi-
biliter dictus spiritus emanaverit ac ex ipsius fundo gutta-
tim in subjectum vas terreum duodecim horarum inter-
vallo exstillaverit omnis, ne gutta quidem in cavo stoma-
chi relicta. Tandem, ut Noster perpetuam & sanguinis,
& variorum succorum transcolationem per intimam ar-
teriarum tunicam horumque per diversos ductus secre-
torios in tunica spongiosa progressionem evinceret, pri-
mum quidem inferiorem aortæ truncum e cadavere hu-
mano desumptum in quatuor tunicas, nerveam puta, mu-
sculosam, spongiosam ac interiorem dispefcuit, dehinc ve-
ro duas posteriores ab invicem separatas & exsiccatas mi-
croscopio eo examinavit eventu, ut intimam tenuem ac
veluti vitream in luce mediocri innumeris poris pertu-
sam, spongiosam vero, in plures lamellas divisibilem, non
nisi et tubulis diversi generis mirum in modum simul im-
plicitis conflata deprehenderit. At enim vero sicuti
prioribus experimentis plenam fidem adhibere nequeo,
ita, etiamsi porositas intuitu æque, ac penultimum, opti-
me procederent, ex eo tamen, quod in partibus viventis
corporis tanta omnino meatuum amplitudo, ac in cada-
veris

veris quidem partibus illa occurrit, penitus desideretur, nec ad corpus nostrum vivum ipsa commode applicari, nec eadem ex illis sequelæ cum *Nostro* vere necti a me facile poterunt. Priora quippe experimenta, ventriculi & intestinorum humanorum defectu, in caninis ipse instituens magnumque discrimen inveniens Nobilissimo *Vicuffsenio* per omnia subscribere merito prohibeor. Per ventriculum scilicet caninum, flava gummi peruviani solutione repletum atque ex filis utrumque orificium constringentibus suspensum, nominata solutio in aqua facta non nisi pallidior per ventriculi parietes evidenter transsudabat ac guttatim quoad quintam circiter partem in vas suppositum intra viginti quatuor horas defluebat, absque eo ut ullum vas sanguineum flavedine infectum apparet. E diverso per alium ventriculum caninum inversum ejusdem solutionis dimidium quidem isto temporis intervallo flavedine uberiori saturatum destillabat, simulque tunicam glandulosam tingeat, omnis nihilominus, diutius etiam relicta, emanare renuebat. Neque aqua gummi guttæ saturata & in canis intestina tenuia post horum ligaturam injecta undiquaque transmeabat flavumque colorem sanguiferis mesenterii vasis conciliabat, ubi vero aliquam intestini portionem resectam aqua ista replevissem atque filo utrinque constrictam suspendissem, tantillum ejus satis pallidum guttatim lentissime descendeat, cum plus aquæ flavedine tinctæ & celerius per idem intestinum inversum deflueret. E quibus tribus experimentis alio plane eventu a me sic adornatis inclarescere potius arbitror, in cadaveribus per ventriculi ac intestini non tam vasa sanguifera, quam meatus cæcos, *Mery* apud du Hamel & *Morino* apud Fontenellium annuentibus, fluidum aliquod infusum successive transfundere, promptius tamen & celerius, ubi partes istæ inversæ prius fuerint, quam sibi relictae, quoniam porositas earum magis introrsum, quam extrorsum, videatur hiare, per
confe-

consequens inversæ etiam plus Tincturæ transmittant,
quam rectæ. Ne quis tamen dubitet, utrumque poro-
rum genus, tum extrorsum, tum introrsum spectans, in
cadaverum partibus mollioribus multo majori amplitu-
dine, ac in vivorum corporum, gaudere, ad diversum
partium ejusmodi in corporibus vivis ac mortuis æque
velim probe attendatur statum ac ad experimenta mox
subjicienda. Quem enim quæso latet, fibrillas cunctas,
ad structuram partium molliorum concurrentes, in vivis
a principio vitali egregie tendi, adeoque contractas seu
abbreviatas in pluribus punctis absque multis & magnis
interstitiis se invicem necessario contingere? Cum e con-
tra in demortuis omnes partium mollium fibræ, princi-
pii vitalis influxu privata, ad sensum oppido flaccidæ ap-
pareant, quæ laxiores sic in paucioribus quoque punctis
non possunt non se invicem tangere pluraque ac majora
relinquere intervalla. Qualia porro oculis longe evi-
dentiore itidem exponentur, modo subsidio tam utrius-
que siphonis anatomici, quam cylindri vitrei & Antliæ
pneumaticæ, cum variis partibus mollibus instituere &
expendere placeat experimenta. Siphonis videlicet
majoris duorum crurum inæqualium, a sagacissimo *Wolf-*
fo in sua Hydrostatica descripti ac depicti, si cruri breviori
ac latiori sex pollicum aqua repleto ventriculus sive hu-
manus, sive caninus, filo crassiori strictissime alligetur ac
per crus altius, in latitudine pollicem tantummodo, in
longitudine vero tres pedes mathematicos adæquans,
aqua infundatur, ab hac ventriculus alligatus non modo
ad insignem convexitatem elevabitur & distendetur, sed
& aqua, potissimum si superficiem externam immediate al-
luat, per poros foris introrsum vergentes mox penetra-
bit tunicas inter pergendo majorem hisce crassitiem
conciliabit, ac demum per internam peripheriam in
oculos incurrentem sensibilibiter ac copiose transsudabit
Siphonis autem similis minoris, qualem mihi fabrefieri
) (3 curavi,

curavi, si cruri breviori, tres pollices alto & unum pollicem lato, aliqua intestini, sive humani sive canini, portio crassiori itidem adstringatur & per crus longius, non nisi quatuor lineas mathematicas latum & duos pedes altum, aqua infundatur, ab hac intestinum quoque tum ad aliqualem convexitatem dilatabitur, tum aqua ipsa, imprimis si superficiem extimam immediate contingat, per porositate foris introrsum tendentem, celerius ac evidentius transmeabit. Quod si nihilo minus vim comprimentem augere volupe fuerit ipsamque atmospheram aeris in auxilium vocare, vitri saltem cylindrici, utrinque patuli, ab industrio nostro Mechanico, *Leupoldo*, in Antliæ Pnevmonicæ Continuatione I. Fig. 21. repræsentati, oræ superiori extrorsum aliquantisper inflexæ, ventriculus, vesica, vel diaphragma ipsum filo crassiori primum annectatur, ora dein inferior humido disci ænei corio imponatur, statim enim ac Antliæ pnevmonicæ embollo aer internus subtrahi incipit, planities partium dictarum ab aere ambiente protinus in notabilem pariter depressimetur cavitatem, ac aqua statim infundenda adeo violenter transprimetur, ut non tam guttatim, quam pleno rivulo per centrum, ac si hoc perforatum esset, cernatur transfluere. Quis vero ejusmodi experimenta, in partibus vitalitate omni destitutis prospere succedentia, ad corpus animale vivum applicare auderet atque in hoc dictarum partium æquales meatus asseverare? Sane si ventriculo ac intestinis tenuibus in nobis viventibus tam ampli essent pori, vix ullum potulentum hauriri posset, quin promptum per eosdem transitum intra cavum abdominis illud inveniret; nec serum extravasatum in hydrope pectoris facile subsisteret, sed per patulas diaphragmatis porositates ad infimum ventrem trajiceret atque ascitem in hoc constitueret, quorum utrumque cum experientia pugnare in propatulo habetur. A Microscopio denique intima etiam aortæ exsiccata tunica
in

in luce mediocri tota sistatur porosa, quod exsiccandum inter multa humiditas secedens fibrillas tenuiores cum majoribus interstitiis post se relinquat, talia nihilominus eidem pariter tunicæ in corpore animali vivo inexistere portionemque sanguinis ac varios humores a sanguine arterioso, quoties hic a cordis systole per arteriam propellitur ad tertiam tunicam spongiosam transire, tanto magis dubitare cogor, quanto minus vel tantillum aquæ transfudabat, cum recentis aortæ portionem laudato siphone anatomico minori examinarem atque successive reliquas tunicas ambientes caute rescarem. Quemadmodum & tunica arteriæ spongiosa, quam multi tendinosam dicere malunt, licet e multis omnino constet lamellis, an tamen hæc in aqua macerata & rursus exsiccata fibrillas ipsas, quæ oculis nudis annulares cernuntur & ab aliis asseruntur, microscopio non nisi tubulos diversi generis mire implicitos vere repræsentent, eo magis pariter hæsito, quo minus microscopium ullum ullius fibrillæ exsiccatae cavitati detegenda sufficit. Plura contra Nobiliss. Vieussens in præsentibus urgere superfedeo, quod

Vir Juvenis Nobilissimus atque Clarissimus, Dominus

**M. JOHANNES FRIDERICUS
ORTLOBIUS,**

Lipsiensis, Medicinæ Baccalaureus,

publico potius nunc postulet commendari. Hic siquidem postquam tum humanioribus literis, tum Philosophiæ doctrinis satis instructus, ad eam artem salutarem, quam & *Bejus Parens* apud nos quondam cum applausu non minus docuit, ac cum successu exercuit, totus sub Doctorum publicorum manu ductione sese applicuit, per quatuor annorum decursum ita in illa profecit, ut
ipse

ipse eandem alio postulatus in ægrorum salutem facitare nullus vereatur. Ne publico tamen testimonio solennique axiomatè destitueretur, à *Facultate* nostra gratiosissima *Licentiam* insignia & privilegia doctoralia quamprimum capessendi, modeste nuper non solummodo petiit, sed & examine utroque & lectionibus publicis feliciter exantlatis, non difficulter obtinuit. Prout castina luce post eruditam *de morbis Eruditorum Dissertationem* defensam ex Ordinis nostri decreto a me vi & autoritate *Procancellariatus*, quem *Reverendissimus, Serenissimus atque Celsissimus Princeps ac Dominus, Dominus MAURITIUS WILHELMUS, Dux Saxonie, Clivie, Montium, Angrie & Westphalie, Postulatus Administrator Episcopatus Martisburgensis, Landgravius Thuringie, Marchio Misnie & superioris ac inferioris Lusatie, Princeps Hennebergicus, Comes in Marca, Ravensberg & Barby, Dynasta in Ravenstein, Academiae hujus Nutritius benignissimus atque Cancellarius perpetuus, Dominus meus clementissimus*, clementissime mihi demandavit, *Licentiam* desideratam, Doctoris Medicinæ gradum apud nos quandocunque libuerit assumendi, publice ac solenniter in ipsum conferetur. A Vobis autem, *Magnifice Academiae Rector, Illustrissimi Comites, Amplissimi utriusque Reipublicae Patres conscripti, ac florentissima nobilissimorum Studiosorum Corona*, ut præsentia vestra splendida splendorem huic Panegyri mutare benevole velitis, quam humanissime contendo, insignem talem favorem omni officiorum promptitudine de omnibus ac singulis demerendi cum *Nobilissimo Domino Licentiando* semper paratissimus. P. P. Lipsiæ die XXVII. Aprilis M DCC XIX.

L I P S I Æ,
TYPIS IMMANUELIS TITIL.

Anat B244, 20